

Auctor ipse in haec verba operis sui coarctat sententiam: „Communio fidelium, ex spiritu institutionis suae, ex manifesto Ecclesiae desiderio, ex universa traditione distribui debet in Sancto sacrificio, non extra illud; attamen, rationes si habentur legitimae, potest distribui et de facto distributa est quovis tempore aliis quoque momentis.“ —

R. P. Dom G. van Coloen ad fulciendam stabiliendamque doctrinam hanc argumenta producit numero copiosissima, hausta ex liturgia catholica, ex formali testimonio perhibito ab auctoribus ecclesiasticis maxime laudatis, ex theologis denique contemporaneis summo-pere distinctis. Tam multa numero argumenta Benedictini huius indefessi maxima cum circumspectione electa sunt atque quod fas est dicere, modo completo, quidquid hanc materiem necessarie spectat, continent.

In Belgio magis quam in aliis Europae terris mos distribuendae Communionis durante Missae Sacrificio in exceptionem abiit, non satis dolendam. Etenim optima profecto praeparatio ad recipiendum Eucharistiae Sacramentum est: in ipsa Ecclesiae cogitatione cum Sacerdote coniungi, quemadmodum id excellens ille usus supponit, heu! in nostro populo catholico abolescens.

Cleri est, ut patet, facere emendationes atque in melius restitutiones, quae opportuna temporumque conditionibus consentaneae videri poterunt. Praeclarum augurium pro doctrina, tam lucide exposita a R. P. van Coloen, adprobationes constituunt, quibus omnes Belgii episcopi pluresque praesules externi auctoris honorarunt opusculum. Utinam perpaucae hae pagellae quoquo-versus ferantur, propagentur atque in vitam reducant consuetudinem hanc solatii plenissimam, pietati christianae usitatissimam!

---

### Fasciculus Manualis e Breviario Romano.

Tornaci Nerviorum, Societ. S. Joannis Evang. Declée, Lefebvre et Soc. 1884.  
P. 28, 166, 128, in 12<sup>o</sup>. Frcs. 3.50 broché.

Sub titulo: Fasciculus Manualis e Breviario Romano collectus . . editores pontificales S. Joann. Evang. Tornacenses in lucem emittunt opusculum liturgicum, quod peraptum apparet ut comiter acceptetur ac suaviter consalutetur a clero cuiusvis regni ac regionis.

Epitome haec Breviarii, typis descripta rubris et nigris, iisque perpulchris Elzevirianis praesentis Prospectus et formae eiusdem, in paginis tercentum adiectis nonnullis, omnes dat partes Breviarii usitatissimas quae sunt: Commune Sanctorum in omnia anni tempora, unacum Laudum et Horarum parvarum Psalmis festivis, aequae ac Commemorationes communes et quidquid usum dictae epitomes commodum facere valet. Votiva sex Officia, nuper concessa, addita habentur Completorio in omnia anni tempora. Sequitur deinde supplementum paginas quinquaginta circiter comprehendens, quod calendarii

ex ordine integram dat seriem Officiorum ad universam Ecclesiam extensorum inde a triginta annis amplius, aequae ac additiones ad VI<sup>tas</sup> lectiones de postremis Ecclesiae latinae sanctis Doctoribus, nec non omnes lectiones historicas, quas S. Congregatio Rituum annis postremo elapsis aut additionibus auxit aut correctionibus emendavit. Quod supplementum excidit in indicem omnium modificationum eodem temporis lapsu factarum in ritu officiorum numero multorum. Quae omnia desiderant sacerdotes qui carent recentissimis Breviariis, aegre ferentes, non nisi in foliis separatis atque dispersis per partes Breviarii diversas ea usui sibi esse. De ceteris, dispositio appendicis huius eiusmodi est, ut faciliter assumere possit augmenta analogae, quae postmodum superveniant.

Itaque, iuvante exiguo hoc volumine recitari potest votivorum unumquodque Officium, aequae ac omnia nova Officia, si excipias lectiones Script. occurr. et quasdam Commemorationes, quae praevideri non poterant intra limites hos necessario restrictos: ineptia vix consideranda atque faciliter superanda a quovis paulisper industrio. Ceterum, in multis circumstantiis commodissime eo utaris pro notabilibus Officii divini partibus. Hoc opusculum est etiam complementum naturale cuiuscunque Proprii particularis. Coniuncta efficient volumen non valde compactum ac pretio minime elevato, verum vade mecum pro sacerdote sacri ministerii officii ad saepe exeundum coacto. Editiones factae in chartae forma 12<sup>a</sup> pro Toto, et eo ipso notabiliter reductae facillime iunguntur libello: Fasciculus Manualis, cuius utilitas duplo maior erit, quin pondus et amplitudo eius multo crescat.

Etiam, si desideratur in specie, iungi posset cum Communi Sanctorum stricte dicto Officium defunctorum etc. . . preces Praeparationis ad S. Missam et gratiarum actionis.

Cum Propria omnia particularia pro certis Officiis ad Breviariorum reiiciant Supplementa, confecta est, quatenus usui subveniatur simultaneo Fasciculi Manualis et dioeceseon Propriorum, nova editio plurium Officiorum recentium, quibusdam regionibus concessorum; iunguntur ea, prout opus est, cum utroque opusculo quod in unum coniunctum volueris habere. Restat, ut dicamus libellum: Fasciculus Manualis, literis et modo Breviarii in charta 12 imprimendum moxque e prelo prodeuntem, fortunatum esse specimen, plene satisfaciens desiderio eorum, qui bene ac venuste impressa adamant opera.

## Die Offenbarung des hl. Johannes im Lichte des Evangeliums nach Johannes.

Eine Skizze der königlichen Herrschaft Jesu Christi von Gh. Kremenz, Bischof von Ermland. Freiburg im Breisgau, Herder'sche Verlagshandlung 1883. S. 196. 8<sup>o</sup>. Pr. 2 M. 40 Pf.

Ein neuer, geistreicher Versuch, das vielgedeutete prophetische Buch aufzuklären. Der Verfasser bezweckt, „eine kurze, auf dem typischen Charakter des Lebens Jesu sich aufbauende Erklärung der